

INDEX TITVLORVM

Circa Sextum.	50	Circa Vigessimum-primum.	79
Circa Septimum.	51	Excursio brevis circa Indicas Uniuersitates.	82
Circa Octauum.	52	Circa subornationem obseruanda & notabilis Resolutio.	94
Circa Nonum.	53	De Uniuersitatibus Societatis J E S V.	111.
Circa Decimum.	54	Circa Religiosos Resolutio postrema.	118
Circa Undecimum.	55	Circa Vigessimum-primum Concordatorum Capitulum alia item nonnulla.	122
Circa Duodecimum.	57	Circa Vigessimum-secundum.	128
Circa Decimum-tertium.	58	Circa Vigessimum-tertium.	130
Circa Decimum-quartum.	60	Circa Vigessimum-quartum.	135
Circa Decimum-quintum.	62	Circa Vigessimum-quintum.	137
Circa Decimum-sextum.	64	Circa Vigessimum-sextum.	159
Circa Decimum-septimum.	66		
Circa Decimum-octauum.	68		
Circa Decimum-nonum.	70		
Circa Vigessimum.	76		



THESAVRI

THESAVRI  
ET INSTRUCTORIS INDICI  
TITVLVS DVODECIMVS.  
De Priuilegiis Indorum.

N. 1  
Quanta  
Indis à Re-  
gibus pri-  
uilegia co-  
cessa, &  
de quibus  
præsertim  
differendū.



Vnt illa non pauca, & circa quæ possunt non leues difficultates occurrere: ac proinde quæ opportuna de illis visa fuerint, discutiemus. Et de iis, quæ ad temporalia pertinent, atque à Regibus concedi possunt, nihil videtur dicendum superesse. In ordino autem ad eorum rectam & pacificam gubernationem multa sunt ab eisdem disposita, quæ si obseruentur, nihil illis vltius exquirendum restat: & vt obseruatio vigeat, sollicita est etiam monitionum repetitione prouisum. Ultra humanæ autem prouidentie facultatem est omnia imperata compleri, & præsertim ad partes longinquas directa. Quamuis certò mihi constet in supremis Magistratibus zelum talis obseruantie feruere, & tum eos, tum Regia Prætoria, omnia, quæ ad Indos spectant, cum omni pietate tractare, & vt rescripta Regia executioni mandentur vigere. Sed manus sæpius pares conatibus imperantium cum dolore deficiunt: vnde id euenit, quod à D. Escalona scriptum in *Gazophylacio Peruuiano Lib. 1. Cap. 16. num. 1.* scilicet ea, quæ multis cautionibus in fauorem & leuamen Indorum piè & prudenter decreta sunt à Supremo Indiarum Senatu, & Indicis Proregibus, nusquam bene obseruata reperiantur. Pro gubernatione ergo Indorum continuatum esse videtur priuilegium, si contingat feliciter obseruari. Ex quibus specialia quædam proponit & discit Dom. Solorzano *Tomo 2. Lib. 1. Cap. 27.* & in *Politica, Lib. 2. Cap. 28.* & ad res temporales spectant, ac politicam agendi rationem: in quibus non est visum distineri; quia negotium conscientie non ita directè concernunt, & eorum aliqua in decursu, aut expedita, aut quantum necessitas requisierit, expedienda. Sed præter illa sunt alia, quæ licet à Pontificibus summis concessa sint, Regia dici possunt, quatenus à Regibus impetrata, vel saltem in Regio registrata Confilio, ac libenti animo suscepta & commendata, vt pro eorum obseruatione Indici debeant Magistratus fauorem & auxilium Regio nomine petentibus impartiri. De illis ergo nobis præcipuè differendum, pro quo sit

D. Escalona.

Dom. Solorzano.

CAPVT I.

Priuilegia quæ aliis pro bono sunt Indorum concessa, an Indorum ipsorum sint dicenda.

Alia sunt, quæ in ordine ad Sacramentorum administrationem spectant, vel dispensationes circa alia: in hoc enim interesse aliquid potest, & ita oportet non indiscussum præterisse. Circa quod

A Terzio. affirmatiua respon-dens qua-sioni.

P. Suarez.

Dico primò. Priuilegia prædicta verè & propriè Indorum dicenda sunt. Probatum ex doctrina P. Suariz *Lib. 8. de legibus Cap. 6. num. 1.* vbi iuxta receptam de priuilegiis Scriptorum sententiam, ait materiam priuilegij, seu finem proximum ejus, esse commodum illud, quod præbet

privilegiato: quod aliquando est priuata personæ, aliquando commune: quam differentiam doctè exponit. Ad nostrum autem intentum satis est scire ex commodo, quod intenditur, rationem esse priuilegij desumendam. Si ergo per illud commodum non eus, qui aliquid est facturus, sed eius, circa quem est facturus, inspicitur, hujus certè priuilegium cum omni est proprietate dicendum. Tunc sic Pontifices in concessione Indicorum priuilegiorum, commodum Indorum præsertim intendunt, quibus, vt nouellis plantis, indulgendam arbitrantur: ergo priuilegia propriè talia ipsorum sunt.

3 Dico secundò. Priuilegia dicta, quæ nullum speciale commodum eorum, qui ministerio aliquo sunt vsuri, respiciunt, non sunt dicenda propriè eorum priuilegia. Probatum ex doctrina dudum proposita: quia cum nullum commodum ex talibus priuilegiis percipiant, neque illa stare sine tali commodo possint: non videtur quomodo dici talia queant respectu ipsorum.

Afferio & tantum esse illorū, si nullam commodā aliorum intendatur.

AA Licet